Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35060
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

et sciimus per quod cum flagellatur hec manifesta iudicia sunt videmus alteram flagellari et nescimus per quod cum et hec iudicia dei sunt occulta tamen quod nobis clausa et propheta superius comprehensa Dominus interrogat iustum et impium. Hugo id est probat et discernit residencias eorum de quibus nostri solus dominus ferre iudicium et sic interrogando invenit quod qui diligit iniquitatem id est peccatum nam peccatum iniquitas est ut dicit Johannes. Remigius Ille diligit iniquitatem qui ex desiderio peccat qui et si semper suis desideriis peccando uti vellet et hic odit animam suam. Cassiodorus Si enim prosequitur qui sequitur dyaboli dum illas semitas ambulare maluit quam ad penarum loca fugienda perduxit. Hugo Quid autem dilectoribus iniquitatum sit futurum consequenter ostendit dicens. Pluit scilicet dominus pluere faciet super peccatores laqueos ut illaqueentur ita quod non possint mereri unde peribunt. Vel iniquitates sue capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur. Nicolaus Etiam iuxta litteram peccatores frequenter moriuntur subito et ex improviso quasi capti laqueo. Glosa Ignis scilicet cupiditatis. sulphur id est fetor malorum operum. et spiritus procellarum per hoc penam eterni iudicii et verberum indicat peccatorum. Jeronimus hoc tamen secundum hystoriam factum fuit quando dominus pluit sulphur et ignem

super Sodomam ut ait apostolus Judas in ore ignis eterni factum fuit. Addidit pars calicis eorum. Quare dixit partem quia unusquisque pro parte sua quasi de calice iustam vindictam recipiet prout gessit in factis suis ut ait apostolus reddet deus unicuique iuxta opera sua. Et idcirco tamen rationem reddens quare id fiat subiunxit. Quoniam iustus dominus peccatorum. Et iusticias dilexit quare unicuique secundum opus eius proprium iudicat. Equitatem vidit vultus eius ut scilicet prima peccatoribus tribuat penam. Cassiodorus Et bene vero suavitas et perversitates hereticorum et malignorum nec non retribuciones eorum psalmus iste mirabili brevitate complexus est ut quorum futuras penas agnoscimus ab eorum pravitate caveamus. Jeronimus Ergo ipse domino supplicemus qui nos vocacione sua dignetur efficere dignos et non secundum peccata mea nobis supplicia inferat sed secundum magnam misericordiam suam veniam largiatur quare ipsi est cum eterno patre et spiritu sancto honor et gloria in secula seculorum Amen.

Salvum me fac domine

Titulus huius psalmi talis. In finem psalmus david pro octava. Sensus eius est talis. psalmus iste attribuitur david id est fideli tendenti in finem id est in christum et in eodem psalmo oranti pro octava id est pro die iudicii de quo in psalmo vi° supradictum est. Glosa videns enim vir sanctus multiplicatam vanitatem seculi quasi subito timens clamat

Salvum me fac domine qui potes solus salvare quoniam defecit